



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXXVIII. Quænam sit Angelo ratio, vt existat in loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPUT. CLXXXVIII.

Quæ nam sit angelo ratio, ut existat in loco.

Angelum in loco esse per qualitatem diuinitus communicatam, adstruit Alexand. c. 1.

Angelum esse in loco per operationem transeuntem, opinio fuit Egidij, & Ferrar. ca. 2.

Angelum esse in loco per aliquid instar operationis, sensus Capreol. cap. 3.

Angelum esse in loco per quandam applicationem virtutis ad operandum, defendit Caietan. c. 4.

Angelum sua nuda substantia esse in loco non determinato, pronuntiauit Durandus, c. 5.

Angelum per solam suam substantiam esse in loco determinato, complures scholastici autumant, cap. 6.

Vera sententia, cap. 7.

CAPVT I.

Angelum in loco esse per qualitatem diuinitus communicatam adstruit Alexander.

Cum quæstionem instituiamus de ratione, propter quam angelus est in loco, non quærimus, quæ sit forma, à qua denominetur angelus existens in loco in loco, certum enim est à præsentia secundum locum; siue sit relatio, siue alia forma intrinseca, vel extrinseca (hoc enim parum interest) angelum denominari præsentem loco: sed quærimus, quodnam sit fundamentum, propter quod angelus in loco esse dicatur, utrum sit sola angeli substantia, an quid ei additum, sicut in corporibus est quantitas, ratione cuius in loco constituitur. In qua re Scholastici in tanta dissensione positi sunt, ut singulorum referre sententias molestum sit. Verum, ut difficultas magis elucidetur, quantum poterimus non modo quid nobis probetur, sed etiam quid ab aliis dicatur, persequemur.

Prima opinio Alex.

Iudicatur inanis.

Prima igitur sententia sit Alexand. 2. part. quæstione 32. membr. 1. qui asserit rationem, & fundamentum, quo Angelus in loco constituitur, esse qualitatem, vel proprietatem quandam diuinitus communicatam. Quæ sane sententia absque fundamento videtur esse. Nam illa qualitas non potest esse naturalis, nec supernaturalis à solo Deo producta; sic enim Angelus nec esse posset in loco, nec loco moveri propria virtute, quod est absurdum, & contra doctrinam Patrum, qui ut disputatione 294. cap. 2. videbimus, leuitati & promptitudini angelicæ naturæ motum tribuunt; hoc autem modo soli diuine virtuti motus adscribi deberet. Restat igitur, esse naturalem virtutem productam ab ipso angelo, quam ipse pro voluntate mutare potest, & ita loco moveri, ac proinde non esse qualitatem à solo Deo collatam. An vero sit qualitas ab angelo producta, vel modus aliquis additus substantiæ eius, cap. 7. dicemus.

CAPVT II.

Angelum esse in loco per operationem transeuntem, opinio fuit Egidij, & Ferrariensis.

Secunda opinio est non parum communis eorum, qui dicunt, operationem transeuntem esse Angelo fundamentum, ut in loco constitua-

tur. Ita docent Egidius in 1. dist. 37. 2. parte dist. art. 1. quæst. 1. & Ferrar. 3. contra gentes cap. 68. §. Considerandum tertio: putatque Ferrariensis esse sententiam S. Thomæ in hoc art. cum ait angelos esse in loco per applicationem suæ virtutis ad locum, ut late deducit ipse Ferrariensis loco citato, & consentire videtur idem Sanctus Doctor in primum dist. 37. quæst. 3. & supra quæst. 8. articulo 1. cum dixit, Deum esse in omnibus rebus ratione suæ operationis. Probatur autem primum ex Damasc. 1. de fide cap. 17. ubi sic ait, in loco tamen esse dicitur, scilicet Angelus, quia intellectuali modo adest, atque ut ipsius naturæ consentaneum est, operaturus alibi est, verum intellectualem in modum illic circumscriptur, ubi operatur. Videtur igitur pro ratione existendi in loco operationem assignare: illa enim particula, atque, coniungit præcedentia sequentibus, ut particulam illam causalem, quia, repetat, & sensus sit ideo est in loco, quia intellectualiter adest, & quia ibi operatur; illud autem, quia intellectualiter adest; explicet modum existendi in loco; illud vero, quia ibi operatur, fundamentum existentie in loco declare. Deinde ratione confirmatur, tum quia non videtur, quo alio modo sine absurdo dicere possimus Angelum, in loco esse, nisi contactu aliquo virtutis, licet corpora contactu aliquo quantitatis: sed contactus virtutis nihil aliud est, quam operatio: ergo per illam constituitur angelus in loco. Tum etiam, si Deus constituitur in omnibus rebus per operationem, substantia etiam spiritualis creatura constituitur.

Hanc opinionem refutat Scotus in secundum dist. 2. quæst. 6. §. Contra hoc est. Refert quoque damnatam fuisse Parisiis ab Episcopo Parisiensi cum schola Theologorum. Idem refert Ricardus in primum dist. 37. art. 1. quæstione 1. Gabr. in secundum dist. 2. quæstione 1. articulo 2. conclus. 4. quibus prædicta sententia non probatur. Ceterum de damnatione illa fada Parisiis parum curandum esset, cum multæ alie propositiones à Doctoribus Parisiensibus immo fuerint damnatæ, si reuera prædicta sententia damnata fuisset. Verum ut colligatur ex Henrico quodlibet 2. qu. 9. qui oppositam sequitur opinionem, & fuit ex Doctoribus, qui prædictam damnationem pronuntiarunt, ibi non est definitum à Doctoribus, an fundamentum existendi in loco sit substantia, vel operatio, vel quid aliud; siquidem ipse Henricus existimat non esse modum substantiam, ut capite 6. videbimus: sed damnarunt Theologos asserentes, angelum esse in loco tantum per operationem, non per substantiam, hoc est, eorum substantiam non esse loco vere præsentem, sed eos tantum esse in loco, in quo operantur, sicut causa dicitur esse in effectu, etiam si secundum locum sit absens: hoc autem non asserit prædicta sententia. Sed quid quid sit de illo Parisiensium decreto, hæc opinio alio modo refellenda est.

Primum quidem autoritate Damasceni 1. de fide c. 17. cuius verba infra referemus, ubi asserit, Angelum ideo hic, & alibi operari, quia transiit uersa loca: prius ergo est, esse in loco, & loca transire, quam in illis operari. Deinde quatuor rationibus.

Prima ratio, Quamuis Deus prius operetur, quam sit in rebus; tum quia res prius debet pro-

duci, quam Deus in illis esse, tum etiam quia Deus non eget propinquitate locorum ad operandum, ut disput. 28. c. 3. monstrauimus: cetera tamen causae creatae prius debent esse propinqua loco, quam operentur. Eorum enim virtus finita est, quare propinquitate loci indiget, ut conditione necessaria ad operandum: prius ergo sunt in loco, quam operentur.

Secunda ratio, si Angelus esset in loco per operationem transeuntem, nunquam posset ipse quiescere mouere aliquod corpus, sed cum illo necessario moueretur; nam corpori quod mouet, non potest esse praesens per aliam operationem transeuntem, quam per motum localem: in corpore autem, quod mouetur, non potest ipse quiescere, ut perspicuum est: nunquam ergo mouere posset corpus, quin ipse moueretur.

Tertia ratio, si Angelus esset per operationem in loco, sequeretur, eum, qui mouet caelum, esse in toto orbe (quod videtur absurdum) quia totum moueri: quomodo autem per unam partem non moueat alias, dicemus disput. 192. cap. 2. Sequeretur etiam, quemlibet Angelum posse sua virtute simul esse in caelo & in terra: nam si potest mouere Angelus tanto motu corpus 20. palmorum, verbi gratia; poterit simul cum alijs mouere corpus longum vsque ad caelum (vnum enim Angelum posse ab alio inuari, ostendimus infra disput. 194. c. 4.) nunc autem esset in toto corpore, non in parte determinata illius, ut colligitur ex ijs, quae dicemus disput. 192. c. illo 2. ergo simul esset in caelo & in terra, quod est absurdum, ut inferius ostendimus.

Quarta ratio omnium efficacissima, & quae aduersarios magis urget est, quia sequeretur, Angelos non fuisse creatos in caelo Empyreo; nec modo ibi esse beatos, nec damnatos in inferno. Idem omnino colligitur de animabus beatis, & damnatis, & de anima Christi, eam videlicet non descendisse secundum substantiam ad inferos, quia neque Angeli, nec animae hominum ibi habent aliquam operationem transeuntem, nec anima Christi habuit in inferno. Angeli quidem in caelo Empyreo eam non habuerunt, quia illud caelum non mouetur: Angelus autem non potest aliam operationem corpori imprimere, quam motum secundum locum. Et quamuis moueretur secundum locum, non esset dicendum, ab omnibus Angelis, qui in eo creati fuerunt, moueri! cur enim tot millia Angelorum in mouendo vno illo corpore occuparentur? In inferno etiam quam operationem habere poterant daemones & animae? imo etiam ipsa anima Christi? neque enim dicendum est, ignem inferni perpetuo ab ipsis agitari.

Primo respondet Aegidius, Angelos in caelo Empyreo non esse per aliquam operationem transeuntem, sed per applicationem virtutis. Verum haec solutio facile quoque rejicitur. Vel enim per applicationem virtutis intelligit operationem aliam transeuntem praeter motum secundum locum; & haec omnino commentitia videtur, cum aliud non possit Angelus in corpus operari, quam motum secundum locum; aut certe assignet genus illud operationis, quod Angeli caelo Empyreo imprimunt; vel intelligit actionem immmanentem voluntatis, quae est principium operationis transeuntis; & ita eodem modo impugnari potest, sicut sententia Caiet. Adde, quod cum co-

Valquez in 1. p. Tom. 2.

lum Empyreum non mouetur ab Angelo secundum locum, nec ab eo aliquid aliud recipiat, frustra diceremus Angelum virtutem suam applicasse, & per illam in loco esse: applicatio enim virtutis circa corpus, non est nisi ad aliquam operationem circa illud.

Secundo respondet Ferrar. has spirituales substantias esse in illis locis per aliquam operationem transeuntem, quam habent non propria virtute, sed diuina: nam, ut docet S. Thom. quest. 16. de mai. art. 9. ad 3. & 12. daemones assumi possunt à Deo ut instrumenta ad effectus supra naturae vires patrandos: dicere ergo possumus, ibi aliquid operari virtute Dei, licet illud nobis occultum sit. Ceterum praeterquam quod instrumentum assumi nequit, ut physice aliquid operetur, ad quod inchoatum aliquam virtutem non habet, ut disput. 177. cap. 3. & 4. ostendimus, excogitata sine fundamento videtur talis occulta Angeli operatio ad hoc tantum, ut suam sententiam Ferrariensis tueatur.

Tertio respondet de animabus, & daemionibus danatis, esse quidem in inferno non ratione operationis transeuntis, sed ratione passionis. Hanc tamen solutionem ipse non probat propter auctoritatem S. Thom. in 4. d. 44. q. 3. art. 3. quest. 16. 3. ubi docet, Angelum prius igni alligari, quam ab eo torqueri. Mihi vero alia quoque ratione non placet. Primum, quia daemones, aut animae non patiuntur ab igne physica aliqua actione ab eo deriuata, ut disput. 243. c. 3. probabimus. Tum etiam quia hoc modo non tollitur difficultas de Angelis beatis, de animabus Patrum in sinu Abraham, puerorum in limbo, qui secundum veriorem sententiam non patiuntur ab igne & animae Christi, cui ad inferos descendit. Adhuc, si vera est sententia, quae docet posse pro libito assumi à Deo quilibet rem ut instrumentum, fateri debemus assumi posse quietam, vel in motu propinquam, vel absente; haec enim nihil conferunt ad rationem instrumenti voluntarie assumpti, cum tota eius efficacia à Deo sit, qui nec motu, nec propinquitate eget ad operandum. Siue ergo dicas, Angelum operari virtute Dei in aliqua rem, siue ignem in ipsum Angelum, non sequitur Angelum esse propinquum ea tantum ratione, quia, ut instrumentum operatur: quare si propinquus est, aliunde id habere debet.

Porro, cum idem argumentum contra Caiet. opinionem non minus pugnet, nititur etiam ipse in hoc articulo respondere. Primum autem cum Ferrar. dicit, Angelos esse in caelo Empyreo per actionem omnino occultam, quod iam à nobis confutatum est. Deinde pronuntiat, Angelos proprie non esse in caelo Empyreo, sed abusive & metaphorice, quia sunt in gloria, ad quam caelum illud destinatum est; putatque, esse essentiam Nazianzeni refertur quoque Nylsenus pro hac opinionione. De alijs vero substantijs spiritualibus, & de anima Christi nihil responder. Verum 3. parte q. 52. art. 2. §. quoad tertium docet, posse animas separatas, Dei voluntate operari in corpus, sicut Angelus operatur; & ita animam Christi verè fuisse secundum substantiam in inferno, quia virtute verbi miracula ibi patrabat. Concedit itaque, animas omnes esse in illis locis ratione alicuius operationis occultae communicatae virtute Dei; & idem de daemionibus debet concedere,

Refellitur
primo,

autasserere, eos non alia ratione esse in inferno, quam beatos in cælo. Cæterum primo concedere occultam operationem his omnibus, superuacaneum, imo commentitium videtur: & quamvis probabile sit, animam Christi potuisse ut instrumentum Dei physice operari virtute eius (nam oppositum probabilius cenſeo, ut ex disput. 177. colligitur) tamen non video quam actionem transferrant continuo in inferno habuerit. Verum id concedamus animæ Christi; de alijs vero substantijs spiritualibus quid dicemus? utrum operationem aliquam occultam virtute Dei ſibi exercere, an verè & propriè eas ibi non eſſe: at qui illud friuolum eſt: hoc autem abſurdum. Nam ſicut idem Caietan. 3. parte quæſt. illa 52. artic. 2. Contra Durandum probat, abſonum eſſe, negare animam Christi ſecundum ſubſtantiam in inferno fuiſſe (id quod cum Picus Miradulanus quondam Romæ dixiſſe videretur, & ea de cauſa peſſime audiret, ab hoc errore ſe diligenter purgavit) eadem nota dignum erit, affirmare, animas Patrum in ſinu Abrahæ ſecundum ſubſtantiam ſuam non fuiſſe: ad eas enim Chriſtus deſcendiſſe dicitur. Adde quoque ſcriptura eodè modo dicit, Angelos eſſe in cælo, quo dicit Eccleſia, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, ergo fateri debemus, eodem modo illos in cælo eſſe, ſicut anima Chriſti fuit in inferno.

Secundo.

Secundo falſo dicerentur Angeli omnes creati in cælo Empyreo, ſi per cælum Empyreum beatitudo intelligeretur; nam ab initio non fuerunt beati, nec omnes poſtea beatitudinem conſequuti.

Tertio.

Tertio Chriſtus incipit eſſe in Euchariftia verè, & ſecundum rem, & non per operationem aliquam, nec per paſſionem, ut conſtat; ergo Angelus etiam eſſe poteſt ſine actione, & paſſione. Si dicat ibi eſſe Chriſtum per mutationem panis in ipſum, hoc nihil iuvat, tum quia præterita mutatione panis in corpus Chriſti, ipſum corpus manet: tum quia ſine illa poſſet eſſe, ut ipſe Caietan. fateatur 3. parte quæſt. 75. artic. 2. Nam etiam ſi Deus ſubſtantiam panis reſtitueret, Chriſti corpus manere poſſet; imo, ut dicebamus diſput. 177. cap. 5. ipſa deſtitio panis connexionem non habet natura rei cum præſentia corporis Chriſti phyſicam, & ex natura rei, ſed ex ſola virtute verborum: liquet ergo, abſque actione aliqua tranſeunte poſſe eſſe aliquam ſubſtantiam ſpiritualem, vel habentem modum ſpiritualem, præſentem loco. In Nyſſeno autem ego nihil inueni, quod ſententiæ faueret aſſerentium, Angelos non eſſe in cælo ſecundum ſubſtantiam. Nazianz. vero plane docet, eos in loco eſſe, & loca peragitare, ut ſuperiori diſput. videbimus.

Occurritur
argumentis
oppoſita
ſententiæ.

Reliquum eſt, ut argumenta huius ſententiæ diluamus. Ad eſtimonium Damasceni reſpondeo, eum ſolum dixiſſe, Angelum eſſe, ubi operatur, quod nos libenter concedimus; quia eget propinquitate loci ad operandum; ſed non dixiſſe, ideo eſſe in loco, quia in eo operatur. Cum autem inquit; Atque ut ipſius natura conſentaneum eſt, operatur, illa coniunctio, atque, non coniungit particulam, quia, quæ præceſſit: ut ita reddat cauſam, quare ſit in loco: ſed tantum ſignificat Damasc. Angelum in loco eſſe intell. ſuali modo, hoc eſt, non ſecundum formam quantitatis; & eodem modo operari, hoc eſt non contactu ſecundum quan-

titatem, ſed ſecundum ſubſtantie præſentiam. Quinimo lib. 1. de fide cap. 17. plane facit, ideo Angelos in loco operari, quia in loco ſunt. Nam Angelus (inquit) ob naturam perſonalem, & quæ præſente ac celeriter tranſit, in diuerſis locis operatur. Ad primam rationem fateor Angelum non eſſe in loco ſine contactu aliquo virtutis, non tamen per actionem tranſeuntem in locum, vel per paſſionem; ſed alio modo, ut cap. 7. explicabimus. Ad poſteriore rationem dico, Deum non eſſe in loco ratione operationis, aut ſaltem id nobis non conſtare, ut diſput. 28. probauimus. Quod ſi Deus eſſet in loco ratione operationis, non præſente concedendum eſt, eſſe etiam Angelum. Ex his ſequuntur abſurdum, quæ intulimus, ſi dicamus, Angelum eſſe per operationem; quæ non conſequuntur ex eo, quod aſſeramus, Deum eſſe, ut notaui in ea diſput. Adde, quod cum Deus non eget propinquitate loci ad operandum, ut aliquo præiudicio; Angelus autem indigeat; ſit, ut Deus prius natura poſſit operari in loco, quam in eo eſſe; & ita operationem habere pro fundamento, poſſet ut in loco eſſet: at Angelus prius in loco debeat eſſe, quam operari, & ita non poteſt ratione operationis in loco conſtitui.

CAPVT III.

Angelum eſſe in loco per aliquam miſar operationem

Tertia ſententia eſt aſſerentium, Angelum eſſe in loco aut per operationem tranſeuntem, aut paſſionem; aut denique per hoc, quod Angelus præſentat rebus, aut inſtar operantis generat. Ita docuit S. Thom. quodlib. 2. artic. 4. & poſtea Capreol. in 2. diſt. 2. q. 1. art. 1. concludit, ubi etiam reſpondit pro eadem ſententia S. Thom. in 1. diſtinct. 37. quæſt. 1. ibi tamen ſolum aſſerit rationem exiſtentis in loco, eſſe operationem tranſeuntem: de loco autem capite addit Capreolus hæc verba; Dicit autem operationem communiter, ſeuandam quod Angelus habet ad corpus contentum in loco per modum præſentis, aut inſiſtentiæ, aut aliquo modo agentis, aut patientis. Quæ ſanc deſumptæ ex illo quod libero, ubi eodem ſerè habentur. Eandem ſententiam amplius videtur Picus Miradulanus in Apologia quæſt. 3. Non longe à principio, ubi affirmat, Angelum eſſe in loco per operationem, accepta operatione pro quacumque habitudine ad corpus, vel ad locum, habente ſe per modum operationis actiue, vel paſſiue. Addit præterea, hoc conuenire Angelis virtute propria; at virtute abſoluta Dei collocari poſſe in loco alio modo.

Hanc ſententiam putat Ferrar. loco allegato non eſſe iuxta mentem S. Tho. adhuc in eo quod libero: nam cum ibi ait, Angelum eſſe in loco per operationem, aut aliquo ex illis modis; intelligit (inquit Ferrar.) ſolam operationem tranſeuntem, quæ ſit aut motus localis, aut illuminatio, aut alia quæcumque, quam poteſt habere virtute Dei. Cæterum, quidquid ſit de mente Doctoris ſeu de eo loco, quæ difficilis eſt, ratione facile reſolvitur hæc ſententia Capreoli, & Miradulani, ſi dicant, aliquid aliud præter operationem tranſeuntem ſignificatum per modum actiue eſſe fundamentum exiſtentia in loco, quia veſt aliqualis operatio immanens voluntatis, aut intellectus (alterius namque facultatis eſſe nequit), & ita aut dicendum erit cum Caietano, per quendam peculiarem actum harum facultatum Angelum in loco conſtitui.

eo constitui, quod cap. 4. impugnabimus; aut per quamcunque actionem immanentem, & hoc est manifeste falsum: Angelus enim existens in celo custodit nos in terra sola intellectus attentione, & desiderio voluntatis, sicut docet S. Thom. in 2. dist. 11. quest. 1. art. 4. ad 5. illa ergo custodia, & quasi actio praesidendi non constituit eum in terra; alioqui cum attentionem suam possit circa vniuersum orbem habere, in toto se posset collocare, quod est absurdum: vel illa habitudo significata per modum actionis est relatio aliqua, ut indicat Capreol. in 2. distinct. 2. quest. 1. art. 3. ad argum. Aureoli contra primam conclusionem, quam ipse appellat nobilitationem, & ornatum quandam ipsius loci: haec autem non potest esse fundamentum talis existentiae. Cum enim existere in loco, sit relatio quaedam, non potest oriri ex alia relatione, nisi mutatione aliqua priori facta alicuius absoluti: illa enim prior relatio oriri non potest ex sola voluntate, aut substantia Angeli: non ex voluntate, quia sic nulla relatio confurgit, nisi priori facta mutatione: non ex substantia, quia eadem semper esset, & variari non posset cum loco; ac proinde Angelus nunquam moueretur.

Quod vero addit Mianadulanus de potentia absoluta Dei, si recte intelligatur, verissimum est: ita tamen intelligendum est, ut sine aliqua mutatione absoluta, quae sit fundamentum existendi in loco, Deus nequeat Angelo conferre praesentiam illam, quae in relatione posita est. Haec tertia sententia nullum pro se habet argumentum, quod diluere necesse sit.

CAPUT IV.

Angelum esse in loco per quandam applicationem virtutis ad operandum, defendit Caietanus.

Quarta sententia est Caietani in hoc articulo, qui secutus Thomam de Argentina in 1. distinct. 37. quest. 1. art. 2. ad 1. contra primam conclusionem. Ex Gofredum quodlibet 8. quest. 13. quem refert Scotus loco citando, videtur sibi has omnes difficultates superare, si concedat, Angelum non esse in loco alio modo, quam per applicationem virtutis ad operationem transeuntem. Putat autem, hanc applicationem esse actionem immanentem intellectus & voluntatis, tum etiam expeditionem facultatis exequentis, quibus Angelus in promptu est, ut operetur; tantumque virtutis esse, ut Angelum constituat in loco, non modo quamdiu operatio transiens perseverat; verum etiam antequam operetur, quando iam in custodia esse dicitur & actu considerat, ut ea, quae sibi iniuncta sunt, recte fiant. Addit tamen, hunc modum existendi in loco esse incompletum, complete autem Angelum esse per operationem transeuntem. Quid autem sit, esse incompletum & complete, non explicat. Ceterum non negat, priori modo substantiam Angeli verè esse praesentem, aut si id negaret, recideret plane in secundam sententiam, cap. 2. impugnatam. Itaque contra Caietanum, solum restat probandum, Angelum non esse verè praesentem per actionem illam immanentem, quae virtutem suam ad transeuntem operationem applicat dicitur. Id autem ostendi potest rationibus factis cap. 2. sequeretur enim, nec Angelos in celo Empyreo, nec animas Patrum in Purgatorio, nec damnatorum in inferno verè esse, nec

Parquez in 1. partem Tom. II.

animam Christi ad inferos verè descendisse. Cum enim ibi nulla sit futura operatio transiens, non erit illa explicatio virtutis ad operandum. Quid vero respondeat Caietanus de Angelis existentibus in celo Empyreo eo capite retulimus & confutauimus. De anima vero Christi responder, habuisse aliquem effectum in animas Patrum, & damnatorum, has quidem terrendo, illas vero illuminando; habuisse quoque operationem aliquam virtute humanitatis in illa loca inferni: intelligere autem videtur actionem transeuntem. Hoc tamen responsum non minus facile confutari potest. Primum quia illuminatio illa & terror incus asanimabus, non poterat esse causa constituendi animam Christi in loco corporeo: haec namque operationes non requirunt loci propinquitatem, eo quod spirituales sunt, & earum effectus non recipiuntur in corpore: imo, si aliquam vim haberent, potius constituerent animam Christi intra substantiam animarum patrum, & damnatorum quam in loco corporeo, ubi illae erant: certum autem est, non fuisse intra substantiam earum. Tum etiam nulla earum actionum facta fuit, impressa aliqua physica qualitate in animas: illuminatio enim non fit hoc pacto, sed tota est ex parte obiecti propositi, ut disput. 215. cap. 5. explicabimus: ergo non potuit esse causa constituendi Angelum in loco materiali. Adhuc, vel humanitas Christi fuit causa instrumentaria physica harum actionum, vel moralis: neutro autem modo videtur sufficere, ut substantia ipsius animae in loco constituatur. Primum, si sit morale instrumentum, id manifeste patet: deinde si sit physicum, quis superius c. 2. satis probatum est, ratione actionis instrumenti animam Christi in loco corporeo collocari non posse: ergo nec applicatio sui ut instrumenti ad operandum poterit esse sibi causa existendi in loco.

Haec sententia non videtur alia ratione fuisse excogitata à Caietano, quam ut prius constitueret Angelum in loco, quae operaretur actione transeunte: id enim Caietano visum est necessarium, eo quod Angelus nuda substantia sua in loco esse non posset: alius autem modus non videbatur ei possibilis. Ego vero fateor ingenuè Angelum prius in loco esse debere, quam operetur; concedo quoque, nuda sua substantia in loco non posse constitui: addo tamen hunc modum Caietani possibilem non esse, & alio multo faciliori praesentem difficultatem posse expediri.

CAPUT V.

Angelum sua nuda substantia esse in loco non determinato, pronuntiauit Durandus.

Quinta opinio fuit Durandi in 1. distinct. 37. par. 2. distinct. 1. quest. 1. num. 26. Qui censet, Angelum per nudam suam substantiam esse in loco, non quidem determinato, quem per motum deferere possit, sed in loco communis: hunc autem inquit esse omnia corpora, quae ipsa virtute sua mouere potest, hisque omnibus Angelum verè esse praesentem substantia, & virtute sua, antequam operetur, aut velit circa illa operari: cumque illius substantia, & virtus eadem sit semper fieri, ut nulla ratione possit locum, quem semel hoc modo habet, deferere: Probat Durandus duabus rationibus. Altera est, omne agens finitum, ut operetur, debet esse prius praesens passo, quam

Pp

2

ope

Secunda
ratio.

operetur; sed non potest Angelus alio modo intelligi præsens, antequam operetur, nisi sua substantia & virtute; ergo per illam antequam operetur est præsens; atqui ratione suæ substantiæ non adest potius huic corpori, quam alteri; ergo omnibus æque debet esse præsens. Altera ratio, si præsens esset vni corpori & non alteri, cum possit in utramque operari, id deberet fieri per motum in ipsa substantia Angeli factum: sed non videtur, quis motus in substantia Angeli recipi possit: ergo omnibus corporibus æque præsens esse debet. Explicat deinde Durand. hanc Angeli præsentiam exemplo corporis celestis. Hoc enim æque præsens est omnibus corporibus, circa quæ potest operari: est tamen differentia, quod corpus celeste quantitate sua & corporum, quibus adest, impeditur, quo minus omnibus sit propinquum & immediate præsens; at spiritus, cum quantitate careat, nullo detinetur impedimento, quo minus omnibus corporibus, quæ potest mouere, proxime adsit; quinimo, cum sit substantia spiritualis, totus est in omnibus, & totus in singulis, sicut anima rationalis in corpore est; & quamvis dicat, Angelum non esse præsentem corporibus sita, sed sola præsentia ordinis; ob id tamen non negat præsentiam secundum substantiam, nec fatetur præsentiam ratione solius convenientiæ, sed veram & secundum substantiam.

Hæc sententia Durandi ab omnibus Scholasticis nostri temporis merito censetur improbabilis. Aut enim loquitur de præsentia solum ratione convenientiæ, & ita nullibi secundum substantiam Angelum præsentem constituit, quod est absurdum, vt ex dictis in 1. & 2. cap. liquet; aut solum præsentiam cognitiōis, qua dicitur aliquis præsens esse rebus, quas habet in prospectu, & hoc pacto idem sequitur in commodum, nempe nullibi esse secundum substantiam præsentem: aut tertio fatetur veram præsentiam & propinquitatem loci in substantia Angeli, quamvis non situ, & quantitate, vt reuera concedit; & hinc non minora sequuntur incommoda.

Primum est, Angelum esse ubique, contra communem Patrum doctrinam, quos commemoravi disput. præced. cap. 1. & 2. docent enim Angelos loco circumscribi particulari, hoc est definiti quia solus Deus ubique est, vt tradit S. Tho. supra quæst. 8. art. 4. cum quo conveniunt Scholastici in 1. d. 37. Id autem ex eius doctrina colligi probatur: docet enim nu. 34. Non oportere, Angelum posse simul plura corpora mouere, vt in omnibus præsens esse dicatur. Tum etiam non est maior ratio, cur sua substantia & virtute potius in hoc, quam in illo sit, si eius virtus æque se habet ad singula: cum ergo non sit corpus, quod ab Angelo moueri non possit, erit simul in omnibus. Si enim quodlibet corpus celeste mouere potest Angelus inferioris gradus & ordinis, vt omnes fatentur: poterit etiam quodlibet aliud mouere: aut si elementa, eo quod fluida sint, tota simul mouere nequeat, satis est, nullam in eis esse partem, quem mouere non possit, vt æque in omnibus partibus illorum esse dicatur. Quare friuolum est quod respondet Durand. Angelum non esse in omnibus corporibus, quia non omnia mouere potest. Aut saltem sequeretur, damnatos Angelos in cælo esse, quia quamvis Angelus damnatus non omnia mouere queat, etiam secundum partes, celeste tamen cor-

pus quilibet mouere posset: ergo adhuc in cælo omnes Angeli dånati mansissent. Deinde responderet Durand. Angelum ubique esse, vbi Deus est, causa omnium, in quibus est; Angelus vero tantum ratione, quia mouere potest. Hoc eodem modo tamen concedit, Angelum esse posset pluribus alijs mundis, si fierent à Deo id quod ex eius doctrina plane deducitur. Concedere quoque debet, Angelos damnatos in cælo mansisse, quæ omnia absurdissima sunt.

Secundum absurdum, quod sequitur ex sententia Durandi, est Angelos non moueri id quod ipse quoque ingenue fatetur, contra Scripturam, & communem doctrinam Patrum, vt disput. 144. patebit.

Tertium denique absurdum est, Angelum semper esse in loco æquali; cum enim æque semper habeat ad omnia loca, in omnibus semper erit eodem modo. Hoc autem absurdum esse, cap. 1. demonstrabitur. Rationes vero Durandi facile dissoluntur, primum quia cap. 7. ostendimus, quomodo Angelus antequam operetur, sit in loco: tum etiam vnde proveniat, huic potius, quam alteri præsentem esse: denique disput. 19. cap. 2. monstrabimus, Angelum de vno ad alium locum posse moueri; hinc ergo omnes rationes Durandi dissoluntur.

CAPUT VI.

Angelum per suam solum substantiam esse in loco determinato, complures Scholastici autem aut.

Sexta opinio est multorum Scholasticorum, qui affirmant Angelum esse in loco per suam solum substantiam, scilicet quo: unque alio, ita tradiderunt in 1. d. 2. art. 1. q. 1. Bonavent. in 2. d. 2. art. 2. q. 1. Scotus in 6. d. 2. art. 2. q. 1. Ad propositum, Gabr. in 2. d. 2. q. 1. art. 2. q. 1. O. Ger. quæst. 2. art. 2. Marit. in 2. q. 2. art. 1. vbi dicitur, quod in 2. q. 9. nihil audeat definire, notat tamen cum Patribus à Doctoribus damnata fuit sententia assertentium, Angelum esse in loco tantum per operationem & non per substantiam, definitum non fuisse, fundamentum existentie in loco, esse ipsam substantiam Angeli: & in hoc Doctorum omnes conveniunt, ex quibus ipse vix erratum cum ipse dicat contra S. Thomam fundamentum existendi in loco, non esse Angelum suam operationem: affirmat nihilominus, non esse eandem substantiam: quid tamen sit illud additum substantiæ, non explicat. Itaque prædicti Doctores contra præcedentes opiniones pronuntiant, Angelum non esse in loco ratione quantitatæ à Deo communicatæ, nec ratione operationis transcendentis, vel habentis se instar operationis transcendentis; idem etiam dicent contra Caietanum, non esse ratione applicationis: & vltimo contra Durandum, non esse ratione suæ substantiæ in omni loco, sed ratione suæ substantiæ, sicut corpus ratione quantitatæ, esse in loco determinato, & finito; ita, vt in Angelis ex substantia sua aliquid aliquo alio oriatur existentia in loco, sicut in corporibus, ex sola quantitate; tamen pro voluntate variari possit. Huic autem sententiæ consentaneè docent, nunquam Angelum ab solo loco, nec de loco ad locum sine medio transire. Tribus autem rationibus confirmari potest hæc senten-

*Soluntur
rationes
aduersae
opinionis*

27. *Præsumitur
contra præ-
cedentem
opinionem.*
tia. Primò confutatione aliarum opinionum, præter quas nulla alia videtur superesse: Secundò quia intelligi nequit, Angelum definire esse hic, donec per motum mutet locum: si autem alio modo esset ex prædictis, vel fundamentum existentiae in loco penderet ex voluntate, posset, ut placeret definire esse hic, ubi antea erat, absque eo, quod inde moueretur: ergo melius est dicere, existentiam in hoc, vel illo loco, ex substantia Angeli proximè nasci, etiam si pro voluntate posset mutari: sic enim nunquā definiret esse hic solo nutu voluntatis sine motu: Tertiò, quia ex eo solū quod Angeli substantia, sine aliquo alio, sit pars quædam totius vniuersitatis rerum, sequitur, ipsam secundum se ordinem loci in vniuerso habere, absque aliquo alio.

28. *Præsumitur
pro præcedente
opinionem.*
Ego tamen, licet cum prædictis doctoribus sententias, quas hæcenus retuli, minimè probem, id tamen quod ipsi asserunt, non minus falsum existimo. videlicet fundamentum existentiae in loco, esse nudam substantiam: quod hac ratione non obscure ostendit. Vel existentia Angeli in loco sumitur pro sola relatione præsentiae, qua dicitur præsens alicui loco, & hac oriri non potest ex nuda substantia: sequeretur enim, Angelum semper manere eodem modo præsentem, donec corpora, quibus est præsens, moueantur; quia ex eodem fundamento ex parte vnius relati semper nascitur eadem relatio, permanente termino illius eodem modo, siue illa sit intrinseca, siue extrinseca: quare immutata substantia Angeli secundum suam naturam, quæ dicitur esse fundamentum præsentiae, & non mutato termino, eodem modo esset Angelus præsens, & ita de loco permanenti moueri non posset, quod est absurdum.

29. *Præsumitur
pro præcedente
opinionem.*
Dices, moueri posse, & tolli illam relationem præsentiae motu locali. Verum hoc responsum nihil valet: motus namque localis debet esse ad aliquam formam priorem relatione, quia relatio, ut dixi, secundum se mutari non potest, nisi aut termino, aut fundamento absoluto mutato. Si autem existentia illa in loco, sit aliquis modus absolutus, ex quo sequitur relatio præsentiae; dici non potest, talem modum oriri ex nuda substantia Angeli, sicut in corporibus ex nuda quantitate procedit: hinc enim sequeretur primum, Angelum non posse absolui ab omni loco, & ita neque de extremo ad extremum sine medio transire, quod falsum esse probabitur infra disput. 196. c. 2. quoniam cum semper adsit fundamentum existentiae in loco, nempe substantia Angeli, sicut in corporibus quantitas: semper Angelus erit in loco, sicut corpus, licet per motum variari possit. Præterea sequitur, Angelum semper esse in loco aequali, & nunquam posse in minori seipsum constituere: quoniam sicut eandem quantitatem semper sequitur eadem existentia in loco aequalis per omnia, nec corpus coarctari potest, nisi forsitan compressione & condensatione, quæ substantia Angeli accidere nequeunt; sic etiam Angelus semper in aequali loco esset: hoc autem non audeat concedere Scotus, & aperte falsum est, ut infra disput. 197. citemus, quod si esse in loco non oritur ex nuda Angeli substantia, sed ex sola Angeli voluntate; efficitur, posse Angelum omnino absolui à loco: siquidem esse in loco ex libera eius oritur voluntate, quod tamen Doctores huius sententiae non concedunt.

Passus in l. p. To. 2.

Iam verò ad primam rationem huius opinionis respondeo; ceteras omnes opiniones non sufficienter assignasse fundamentum existentiae in loco: ob id tamen non esse necessarium, cum Scotus asserere, fundamentum esse nudam substantiam. Ad secundum dico, rectè posse explicari & intelligi, Angelum definire esse in loco, absque eo, quod inde moueatur ex solo nutu suæ voluntatis, ut sequi. cap. dicimus. Tertia autem ratio solū probat, naturam spirituales, quia est pars huius vniuersitatis, habere aliquod ordinis genus cum reliquis partibus: non tamen, hunc ordinem esse secundum situm: hoc enim videtur necessarium corporibus, quibus necessario conuenit locus. Quare absque illo Philosophico fundamento mirantur recentiores aliqui, cum audiant, posse Angelum ex se sola sua nuda substantia nullibi esse: siquidem esse alicubi, quod necessario denotat distantiam, solū quantitati conuenire potest, & ceteris rebus ratione quantitatibus, ut constat ex doctrina tradita disput. 29. cap. 3. & 5.

CAPUT VII.

Vera sententia.

27. *Fundamentum
Angeli
existendi in
loco, pendet
ex voluntate
ipsius.*
Reiectis iam aliorum opinionibus, vna tantum superesse videtur ceteris probabilior, nempe Angelū in loco esse non ex nuda sua substantia tanquam ex fundamento, nec aliqua alia ratione ex prædictis; sed modo quodam absoluto addito substantia Angeli, ex voluntate omnino illius pendente, tanquam ex principio efficiendi. Hanc opinionem non obscure indicauit Henricus, quodlib. 2. quæst. 9. cum aliorum sententijs confutatis, dixit, Angelum non posse esse in loco nuda sua substantia; videbat enim incommoda, quæ inde sequebantur: putat ergo, aliquid esse addendum substantia illius: cumque nihil ex ijs, quæ dicta sunt, ei probetur; quid aliud superest quam modus quidam absolutus, qui possit esse fundamentum relationis præsentiae secundum locum, & vniōis cum corpore, pendens omnino ex voluntate Angeli: ut ita defendere possumus, in maiori & minori loco collocari: de extremo ad extremum sine medio transire, & ab omni loco aliquando prorsus absolui.

28. *Primum nota-
andum.*
Cæterum in huius opinionis explicationem duo maxime notanda sunt. Vnum est corpus ratione suæ quantitatis esse in loco circumscriptum, non quia solum loco definitur, sed quia loci superficies ipsum complectatur, ambiat & metiatur. Hæc itaque corpori quanto conueniunt, primum ex eo quod quantum est in se, & mensuræ capax, hoc est, ex eo quod alterius quantitatis mensuram recipere potest, nascitur in eo modus quidā, quem situm appellare possumus, non de prædicamento situs, ut iacere, sed de prædicamento ad aliquid, sed de prædicamento ubi, quo nomine communiter nuncupatur. Ad hunc modum, ut ad terminum intrinsecum, tendit motus localis; deinde ex hoc modo sequitur, ut corpus ab alio distet vel propinquum sit illi, & ab aliquo contineri possit, ita ut extra cælum & in vacuo, quod idem est, distare ab alio possit & appropinquare, ac proinde moueri, ut disput. 29. cap. 3. notauimus.

29. *Secundum nota-
andum.*
Alterum notandum est, hunc modum, quem appellamus ubi, corporibus ita conuenire ratione quantitatis, quæ mensuram recipere potest, ut necessario

cessario illis conueniat hic, aut alius modus: nec ex voluntate illius pendeat, ab omni tali modo se absoluere, sed voluntate solum Angeli fieri possit, ut ex uno in aliud corpus moueatur. Conuenit etiam corpori ex ipsa quantitate, ut nec maiorem, nec minorem modum habeat: ac proinde nec maiori & minori superficie contineri possit.

*Existencia
Angeli in
loco non est
sola relatio.*

De existentia igitur Angeli in loco non eodem modo omnino Philosophari debemus. Primum dicendum est, existentiam Angeli in loco, non esse solum relationem presentie, vel distantie, siue hæc dicatur intrinseca & realis, siue extrinseca & solum rationis; hæc enim, sicut quævis alia relatio, pro voluntate nequit mutari, nisi facta prius aliqua mutatione absoluti, ut præced. cap. monstratum est.

Præterea dicendum est, fundamentum huius presentie in corpore, aut in loco, esse modum aliquem absolutum additum substantiæ Angeli ex voluntate illius, tanquam ex principio efficienti, ratione cuius cum uiuatur corpori, præsens est illi: quare cum proximè non oriatur hic modus ex substantia, maior & minor esse potest; imo ita Angelo conuenit, ut eo omnino carere possit. An vero ratione illius Angelo conueniat ratio distantie, & modus secundum locum, disput. 195. cap. 4. dicemus, ubi etiam differentiam aliquam inter hunc modum Angeli, & corporis assignabimus.

Obiectio.

Obijciat aliquis contra hanc sententiam, Quia ratione fieri potest, ut modus in substantia Angeli productus constituat ipsum in loco indiuisibili, cum ipsa substantia Angeli, ac proinde modus ille in ea receptus, indiuisibilis sint? Respondeo,

Responsio.

hoc facile intelligi. Nam sicut modus in anima rationali, quem habet in corpore, quando illi uiuatur, est in se indiuisibilis, sicut anima ipsa: tamen facit eam esse uiuatur corpori diuisibili; sic etiam modus Angeli potest ipsum corpori diuisibili uiuere, etiam si in se indiuisibilis sit. Ex eo tamen, quod in se diuidi nequeat, solum sequitur, Angelum esse totum in toto corpore, & totum in quauis parte illius, sicut est anima rationalis: dico autem hunc modum esse indiuisibilem, sicut etiam est modus animæ cum corpore, in diuisione quantitatis: quia recipitur in substantiali: nihilominus assero, esse diuisibilem eo modo, quo habitus dicitur habere diuisionem, cum extenditur ad plures conclusiones; quam vocant extensionem virtutalem. Nam & modus Angeli facit ipsum esse in loco diuisibili & extenso. An vero ille modus possit successive variari, uidebimus infra disput. 195. cap. 3. Quocirca non possum non mirari Theologos & Philosophos nostri temporis, qui concedentes Angelo presentiam, quam vocant localem, ratione substantiæ ipsius Angeli, affirmant eam esse modum quandam substantiæ Angeli, indiuisum quidem comparatione Angeli, sed diuisum & extensum respectu loci, in quo Angelum constituit: ita, ut modus ille habeat in se partes formaliter inter se distantes & distitas, & una pars respondeat uni parti loci, & altera alteri parti. Hos igitur Doctores ego vehementer miror, quod de Angelis spiritualibus differentes, nondum corporea hæc, & materialia obliuiscantur, & in subiecto spirituali, & omnino indiuiso constituant aliquid accedens formaliter loco extensum, & ut dici solet, loco commensuratum,

*Presentia
Angeli non
habet partem
formalem
inter partes
se distitas.*

cuius partes inter se distitæ sint, & loco distantes. Hoc enim proprium uidetur corporis, & accidentis corpori, cuius capax non est substantia spiritualis.

Ratio igitur Philosophica docet, si quem modum Angelus habet, ratione cuius in corpore extensum, aut loco constituitur, eum esse in se formaliter indiuisum, & carere omni extensione, quæ loco commensuratur: ac proinde ratione illius Angelum constitui totum in toto corpore, aut loco, & totum in quauis parte; solumque habere extensionem illam, quam supra virtutalem appellauimus. Si autem haberet extensionem illam, quam prædicti Doctores comminiscuntur, esset ut sanè, ut Angelus esset totus in toto corpore, aut loco, & pars eius in parte: deberet enim esse extensus, sicut & ipse modus extensus est.

Et hac ratione interpretari possumus Doctorem Sanctum cum in præsentia art. asserit, Angelum esse in loco per applicationem virtutis, ut per applicationem intelligamus modum illum quo coniungitur corpori: hæc enim coniunctio præcedere debet, ut virtus eius operetur in corpore, & in loco, ut seq. disput. uidebimus. Nec mirum uidei debet alicui, si hoc modo mentem S. Tho. interpretemur, quando tot varijs modis Thomæ explicat applicationem illam virtutis, ut superius tulimus. Si qua vero contra hanc sententiam sunt argumenta seq. disput. ubi agemus de loco, & de motu Angeli, diluentur.

Nonnulli tamen non satis intelligentes hanc modum unionis Angeli cum corpore, hac ratione eum impugnant; aut modus ille est unionis formæ cum materia, aut naturæ cum supposito, aut partis continuæ cum parte, aut denique est coniunctio propinquitatis secundum locum: ut qui Angelus non uiuatur ut forma, nec ut natura, nec ut pars, ut manifestè constat: restat igitur, ut modus unionis eius cum corpore, sit solum coniunctio propinquitatis secundum locum; & hoc eodem argumento contendunt, corpus Christi cum speciebus panis sola loci propinquitate uiuatur. Ex quo inferunt, Angelum proximè per suam substantiam esse in loco; quia ex sua substantia proximè oritur hic modus unionis.

Respondeo nullo ex his modis uiuari, seu coniungi Angelum cum corpore, & corpus Christi cum speciebus. Non quidem tribus prioribus, ut manifestum est, nec quarto, modus enim coniunctionis secundum propinquitatem loci, ex se habet respectum distantie à punctis fixis, per ordinem ad quæ constituitur locus; quia locus siue immobilis esse nequit: Angelus autem & corpus Christi, prout in Eucharistia est, ex se non habent respectum distantie à punctis fixis, sed hanc distantiam habent ratione quantitatis, vel habens modum spiritualis, ut corpus Christi in Eucharistia, secundum se habet respectum ad puncta fixa, ut ostendi disput. 199. c. 3. manet igitur modus quidam coniunctionis Angeli cum substantia corporis, prout substantia est, non prout hic; aut alibi exiit: & corporis Christi cum speciebus, non quatenus hic, aut alibi, sed secundum se ita, ut manente eodem corpore Angelus retineat eundem modum coniunctionis, etiam si varietur distantia & manentibus eisdem speciebus in corpore Christi manente eodem modus, etiam variata distantia, & hæc con-

inunctio, quæ est prior, quam distantia est propria rerum spiritualium, aut habentium modum spiritualium cum corporeis: nam corpus extensum in ordine ad locum cum alio sic extenso ita vnitur, seu coniungitur propinquitate, ut prior sit distantia secundum locum à punctis fixis in vitroque corpore, quam inter se coniungantur propinquitate.

DISPUTATIO CLXXXIX.

Num Angelus necessario sit, ubi operatur.

Angelum posse operari, ubi non est, non pauci Theologi docent, capit. 1.

Angelum indigere loci propinquitate, & continuatione ad operandum probabilius opinio fert. cap. 2.

Argumentis prioris sententia sit satis. cap. 3.

CAPUT I.

Angelum posse operari, ubi non est, non pauci Theologi docent.

Quamvis ratio existendi in loco, non sit Angelo sua operatio, ut superiori disput. conclusum est; non tamen propterea efficitur, ut possit operari ubi non est: fieri namque potest, ut saltem hæc duo connexa sint ex natura rei, etiam si operatio non sit fundamentum præsentia. Quocirca inter Scholasticos alia difficultas de hac re & dissensio superest: inter quos non pauci, nec indocti antiqui, & recentiores censent Angelum posse operari, ubi non est præsens substantia eius. Sententia est Gabr. in 1. dist. 37. q. 1. art. 3. dub. 1. & Ocam eadem dist. & quest. ante medium: imo de corporeo agente idem arbitratur. Consentit Hervæus tract. de motu Angelorum, q. 1. ad 3. obiectionem contra suam sententiam, & sequuntur non pauci recentiores, qui pro eadem opinione allegant. Durand in 1. dist. 37. 2. part. q. 1. nu. 26. & Caietan in commentario huius art. eo quod doceant, inter Angelum, & corpus solam esse necessariam præsentiam ordinis, non autem substantialem, ut Angelus operetur; perpetram tamen citantur. Nam utique, ut præcedenti disputatione vidimus, plane affirmat Angelum collocari præsentem secundum suam substantiam corpori, antequam operetur: Caietanus particulari corpori, Durand. vero omnibus corporibus: solum addidit Durandus, Angelum non esse præsentem sibi, hoc est quantitate: huius enim existimavit esse proprium habere situm: ob id tamen non negavit præsentiam realem substantia, ut ibidem explicatum est. Multis tamen videtur Scotus huic opinioni adhæsisse 1. dist. 37. quest. unica, §. respondet, cum de agente etiam corporeo idem existimare videatur: docet enim, agens corporeum communiter proximum esse debere passio, quamvis agere possit in remotum per medium, & alioquando alia actione diversa in proximum, quam in remotum: sicut corpus celeste generat in visceribus terræ metalla, quæ non producit in alijs corporibus medijs: & piscis immittit stuporem in brachium piscatoris, non in hamum, chordam, & arundinem. Contingit autem hoc, inquit Scotus, una ex duabus causis, aut quia duplex potentia agentis coniuncta, quatum simul altera agit in proximum, altera in remotum: ex quo videtur a-

Parquet in 1. partem Tom. II.

gere in remotum per medium, cum reuera non agat, quia est diversa potentia, & operatio in vnum, & in alterum: aut quia agens est imperfectum, & patitur defectum virtutis operantis: ideoque agit prius secundum potentiam & formam imperfectiorem, quam secundum perfectiorem: sicut generans prius alterat subiectum secundum formas accidentarias, deinde inducit subiectum tale, & corrumpit contrariam. Hinc colligit Scotus in hunc modum, si ergo in agente duæ illæ potentia non coniungantur, & ea solum maneat, quæ apta est operari in remotum, & non sit agens imperfecte virtutis, quod prius debet operari imperfectius; nulla subest ratio, ob quam neque agere in remotum. Vtrum autem id de facto conveniat alicui agenti creato intellectuali, an necessarium in omni creato efficienti coniungantur duæ illæ potentia, aut sit modus ille imperfectus operandi, non explicat: hinc enim solum probare contendit, Deo minime repugnare, operari in aliquid distans, quantum est ex parte principij operandi: tamen si alioqui, propter suam immensitatem, ubique necessario sit, ut disput. 28. capit. 1. & 3. memoravimus. Quare non video, an Scotus pro hac sententia debeat referri, vel ea ratione præcipue, quod in 2. distinct. 2. q. 6. §. Contra conclusionem, ex propria sententia plane ponuntur, agens limitata virtutis necessario debere esse præsens, ut operetur: ac proinde Angelum prius natura in loco esse, quam operetur in eo. Hanc tamen priorem sententiam sequuti sunt Avicenna in libro de anima, sectione 4. cap. 4. & Alexander Aphrodisius 1. Metaphys. commento 18.

Recentiores denique, ita hanc complectuntur sententiam, ut nihilominus asserant, limitatam esse virtutem Angeli, certamque sphaeram naturæ suæ requirere, intra quam operari possit in distans, ultra illam vero non valeat. Confirmant autem hanc sententiam ex agentibus corporeis, ex quibus putant aliqua esse, quæ intra certos terminos agunt in distans, sine medio, multo ergo magis id Angelo concedendum est, qui per intellectum, & voluntatem operatur: in corporeis autem id constare videtur. Primum, quia aliqua meliorem effectum producant in distans, quam in proximo, ut ignis in stipula, aut alia materia bene disposita, quam in aëre propinquo: hunc enim non accendit, stipulam vero, aut aliam materiam comburit: & Sol generat mineralia in terræ visceribus, non in aëre: & piscis stuporem & torpedinem immittit in brachium piscatoris, non in hamum, chordam, & arundinem: unde & piscis nomen accipit, & dicitur Torpedo: hunc effectum tribuit pisci Plin. lib. 32. c. 1. refert etiam Arist. lib. 9. de hist. anim. cap. 7. hunc piscem immittere torpedinem & stuporem in pisces, quos appetit, ut illos capiat, eisque vescatur, eum tamen non immittit in aquam, quæ est interiecta. Demum si quis vas æreum plenum aqua igni admoveat, semper ita contingit, ut aqua intus conclusa, in quam ignis remote agit, calidissima sit, æs autem, in quod ignis proxime operatur, frigidum maneat: quibus exemplis adstruere non dubitant duplicem illam virtutem in vno agente, quam Scotus excogitavit. Et quamvis re ipsa non separentur, est tamen aliqua vis, quæ in distans operatur, etiam si alia, quæ solum in proximum agit, ipsam comiteretur: quare absolum non erit, hanc solum in Angelo

pp. 4. conce.